



2

Arten  
II

40

PROGRAMMA  
DE  
**CAVSSIS HONESTIS**  
QVO  
AD EXAMEN PVBLICVM  
DOMINI  
**HIERONYMI KOEHLERI**

SMALCALDIA-HASSI PRAXEOS CANDIDATI  
DIE XIII. APRILIS HORIS ANTEMERIDIANIS CONSVETIS  
AVDIENDVM  
ACADEMIAE PROCERES CIVES STUDIO-  
SOS OMNESQVE BONARVM LITERARVM ET  
FORENSIVM MVSARVM FAVTORES  
OFFICIOSE ATQVE DECENTER INVITAT  
**PAVLVS PHIL. WOLFFHARDTVS**  
I. V. D. ET P. P. H. T. DECANVS.

---

RINTELII IMPRESSIT IOH. GODOFR. ENAX  
ACADEM. TYPOGR.

35.



PROGRAMMA  
DE  
CAVSSIS HONESTIS  
AD EXAMEN PUBLICUM  
DOMINI  
HIERONYMI KOEHLERI  
ACADEMIAE PROCEPUS CIVIS STUDIO  
ET OMNINO BONARVM LITTERARVM ET  
PRAESENTIUM LITTERARVM FAVORIS  
PAVLVS PHIL. WOLFFHARDTVS  
I. V. D. ET P. P. H. T. DECANVS





**I**nter cæteras laudes, quibus Titum Flavium Vespasianum, amorem ac delicias generis humani gentium consensu appellatum, plena manu ad astra sustulerunt omnium linguarum scriptores, non infimam censeo illam, quam Imperatori nostro tribuit Suetonius Tranquillus, historiæ Augustæ florentissimus auctor, dum de eo refert, quod post stipendia *foro operam dederit honestam magis quam assiduam.* Erat hoc Romanis, illustri præsertim loco natis, in more positum, ut non uni studio, aut uni vitæ generi se dicarent totos, sed omnia, liberis tamen hominibus virisque principibus digna, persequerentur omnes. Legimus sane, eundem sapissime virum & sacerdotia gessisse, & ex bellicis rebus sibi gloriam comparasse, & apud Iudices & apud Senaturn dicendo laudem affectutum esse, antequam Rempublicam capefferet, & Magistratus adipisceretur. Ita C. Julius Cæsar (ut alios nimis multos silentio præteream) annum agens septimum decimum flamen dialis destinatus est, paullo post stipendia fecit, mox Romam reversus Corn. Dolabellam, consularem & triumphalem virum, repetundarum postulavit, donec, Tribunus militum factus, per Quæsturæ, Ædilitatis & Præturæ gradus ad summum



Consulatus, immo Dictaturæ & Principatus fastigium eveheretur. Ingressus igitur majorum vestigia Titus Flavius Vespasianus, ineunte adolescentia Tribunus militum & in Germania & in Britannia meruit, summa industriæ nec minore modestiæ fama, post stipendia autem, uti supra diximus, foro operam dedit, ita tamen, ut honestam magis, quam assiduam impenderet. Observant interpretes, hæc verba: *quod honestam magis, quam assiduam foro operam dederit*, significare, quod instar magni patroni causas nobiliores tantummodo susceperit. Et recte quidem. Quatuor enim, ut auctor Rhetoricorum ad C. Herennium docet, sunt causarum genera: *honestum, turpe, dubium, humile*. *Honestum* causæ genus putatur, quum aut id defendimus, quod ab omnibus defendendum videtur, aut id oppugnamus, quod ab omnibus videtur oppugnari debere. *Turpe* genus causæ intelligitur, quum aut honesta res oppugnatur, aut defenditur turpis. *Dubium* genus est, quum habet in se causa honestatis, & turpitudinis partem. *Humile* genus est, quum contempta res affertur. *Honestæ* igitur causæ non solum opponuntur turpibus, improbis & injustis, sed etiam humilibus, abjectis, parvi momenti, & plane ejusmodi causis, quibus se distringi queritur Plinius *l. 2 ep. 14*. Distringor, inquit, centumviralibus causis, quæ me exercent magis, quam delectant. Sunt enim pleræque parvæ & exiles, raro incidit aut personarum claritate, vel negotii magnitudine insignis. Exinde apparet honestam causam duplici ratione in-

intelligi, primum, ut denotet causam justam, deinde, ut præter justitiam requirat aut personarum claritatem aut negotii magnitudinem. Has non minus, quam causas aut amicorum, aut destitutas, aut ad exemplum pertinentes, studiose libenterque suscipiendas esse, Numidio Quadrato, quem jam foro assignaverat, auctor est laudatus Plinius, in lectu dignissima ep. 29 l. 6. Æquum enim, inquit, est, agere nonnunquam gloriæ & famæ, id est, suam causam. Et sicuti *honestus* locupletem & in aliqua dignitate positum significat, atque *humili* & *ege*no opponitur l. 38 § 3. ff. de pæn. §. 4. Inst. de publ. jud. l. 3 §. pen. ff. ad l. Corn. de sicar. l. 52. §. 21 ff. de furt. Arnob. lib. 7. Si ex duobus facientibus res sacras, *honestus* unus & *locuples*. alter *angustus* lare: Ita *causa honesta* & *honestæ fori opera* denotat, quæ vel pro viris illustribus aut contra viros illustres suscipitur. In hunc censum veniunt causæ triumphales, quales orasse C. Cæsarem Caligulam Suetonius memoriæ tradidit cap. 3. quippe quæ non tam ejusmodi causas, quæ de triumpho decernendo agerentur, (ut Torrentius explicat) sed potius tales, quæ pro viris triumphalibus aut contra triumphales susciperentur, significant. De causis consularibus idem judicium esto. Ejusmodi causa consularis pariter & triumphalis erat, quam Julius Cæsar contra Corn. Dolabellam consulare & triumphalem virum agebat, cujus supra mentionem intulimus. Romani enim veteres maxime in accusationibus nobilibus tirocinium ponere & documenta eloquentiæ dare volebant. Notus est locus Apu-

Apuleji, commemorantis, quod gloriae causa accu-  
 faverint M. Antonius C. Carbonem, C. Mutius A.  
 Albutium, P. Sulpitius C. Norbanum, C. Furius M.  
 Aquilius, C. Curio Q. Metellum. Sexcenta hujus  
 rei exempla apud Ciceronem, Quintilianum & scri-  
 ptores historiae Augustae passim occurrunt. Interim  
 non minore laude digna judicabatur defensio, eoque  
 magis, si quando accidebat, ut ei subveniretur, qui  
 potentis alicujus opibus circumveniri urgerique vi-  
 debatur. Constat inter omnes quantam sibi laudem  
 peperit M. Tullius Cicero defensione ista, qua S. Ro-  
 scium Amerinum contra L. Sullae dominantis opes  
 tuitus est. Simili modo Tiberius Nero Caesar, civi-  
 lium officiorum rudimentis, regem Archelaum,  
 Trallanos & Thesalos, varia quemque de causa,  
 Augusto cognoscente, defendit. Nero quoque  
 Claudius Caesar statim post adeptam virilem togam,  
 ut studiis honestis & eloquentiae gloria nitesceret,  
 pro Bononiensibus latine, & pro Rhodiis atque Ilien-  
 sibus graece verba fecit. Eadem igitur ratione usus  
 Tirus Vespasianus, & accusando & defendendo viros  
 potissimum illustres, reges, populos, honestam foro  
 dedit operam. Quod autem *honestam magis quam  
 assiduam dederit*, facile est intelligere. Quum enim  
 ejusmodi causae honestae, quae vel personarum clari-  
 tate, vel negotii magnitudine sunt insignes, oppido  
 sint rarae; is, qui ad eas solas, caeteris contemtis, ani-  
 mum appellit, non potest in foro & litibus assidue  
 versari. Verum enim vero, quando nostri fori ad-  
 vocatis idem censemus faciendum, quod Tito Impe-  
 tori



tori foro operam danti moris fuit, id ipsum paulo  
 latius patere volumus. Neque enim illo fastidio la-  
 borabit honestus caussarum patronus, non agendi  
 caussas minores, tanquam infra eum sint, aut detra-  
 ctura sit opinioni minus liberalis materia. Nam et  
 suscipiendi ratio justissima est officium, & optandum  
 etiam, ut cives quam minimas lites habeant, & abun-  
 de dixit bene, qui rei satisfecit, Quintil. l. 12. c. 9. Bre-  
 vi sic habeto: omnes caussas, magnas parvas, nobi-  
 les ignobiles, gloriosas contentas, quæ salvo officio  
 defendi possunt, suscipere honeste potes, modo im-  
 probis & injustis abstineas, neve suscipias plures,  
 quam quibus sustenturum te scias. Causæ enim  
 sunt vel justæ, vel injustæ, vel dubiæ, aut, si cum Lyn-  
 ckero mavis divisionem bimembrem, omnis causâ  
 est vel justa, vel injusta; justa iterum est vel manife-  
 ste justa, vel dubia sive probabilis. Manifeste justam  
 ab unoquoque suscipi posse, cæcis, ut ajunt, satis cla-  
 rum est, contra eam, quæ manifeste mala est & inju-  
 sta, unumquemque debere detrectare, respuere,  
 averfari, itidem omnibus patet. Sed dubiam quo-  
 que causam a viro bono citra dubitationem suscipi  
 posse, asseveranter affirmamus. Recte Cicero: Ju-  
 dicit, inquit, est, semper in caussis verum sequi, patro-  
 ni nonnunquam verisimile, etsi minus sit verum, de-  
 fendere. Quare, quum Jcti in multis juris capitibus  
 in diversas distraherentur sententias, licebit caussarum  
 patrono alterutram ex communibus contra com-  
 munes opinionibus tueri, quando vel maxime argu-  
 menta partis adversæ probabiliora judicet. Neque  
 enim

enim quæritur, quid isti justum videatur, sed quid ju-  
 dici. Poterit igitur jura pro cliente suo facientia  
 commemorare & in medium proferre, decisionem  
 autem litis arbitrio judicis securus relinquere. Sed  
 nec habendum est religioni, nocentem aliquando  
 immo & nefarium impiumque defendere, modo ma-  
 lis artibus defensor abstineat. Vult hoc consuetudo,  
 patiuntur leges, fert etiam humanitas, secundum tri-  
 tum illud, quod nequidem diabolo defensio sit dene-  
 ganda. Inprimis autem caussarum patronus hone-  
 stam foro operam daturus, pauperes & calamitosos,  
 nisi forte erunt digni calamitate, advocacione etiam  
 gratuita perlibenter juvabit. Pulcrum enim & ma-  
 gna laude dignum, jurisprudentia in hoc uti, quan-  
 tumque arte valeas miserorum defensione experiri.  
 Quid? quod advocatus, si impleretur, poterit atque  
 etiam debebit officium suum oppressis aut destitutis  
 adversus Magistratum, cui subest, præstare. Ini-  
 quissimum enim foret, cives & inferioris conditionis  
 homines ope advocatorum destitui atque injuriis  
 magistratuum indefensos exponi. Ipse Imperator  
 facillimus permittit, ut advocati in summis Imperii  
 tribunalibus, si quæ privatis cum illo lis oriatur, ho-  
 rum caussam contra ipsum tueantur. Idem & cæ-  
 teri Principes imperii & Reges exteri in suis judiciis  
 indulgent, quin ipsi nonnunquam præmiis afficiunt  
 eos, qui strenuam civibus contra ipsos operam præ-  
 stiterunt, ut exemplo Francisci I. Galliarum Regis  
 confirmat Leyserus *spec. 48. med. 3 & 4.* Sed, dicit  
 aliquis, ejus generis proceres virique principes tanta  
ani-

animi maximi æquitate conspicui raro admodum & non nisi magnis ætatum intervallis inveniuntur. Sæpius autem usu venit, ut advocato contra potentiores civitatis, & Principis amicos, nedum contra ipsum Principem ejusque fiscum causas agenti gravissima pericula, offensiones & similitates subeundæ sint. Primum, recte faciendo, neminem timeas; & fides in præsentia eos, quibus resistit, offendit, deinde ab illis ipsis suspicitur laudaturque, Plin. l. 3. ep. 9. deinde solerti prudentia & cautione tibi prospicere non prohiberis. Utere excusatione adversus eos, quos in virtus offendis, quacunque potes, quare id, quod feceris, necesse fuerit, nec aliter facere potueris. Veniam tibi a Principe, aut potius mandatum impetrari sine, quo huic vel illi adesse jubearis. Tutius postea sub hoc clypeo causam ages. Placet huic monito in usum neoadvocatorum alias nonnullas, quasi coronidis loco, addere forensis prudentiæ regulas, ex probatissimis pragmaticis, Schiltero præsertim & Strykio desumptas, infertis quibusdam, quas me docuit usus, magister optimus.

I. Inter initia praxeos tuæ veterano cuidam advocato te expoliendum limandumque permitte, ejusque consilio in causis agendis nitere. Facile enim advocatus tiro, quantumvis præclara eruditione atque doctrina præditus, labitur, errat, decipitur, neque ejus ignorantiam aut negligentiam regit humus, ut empiricorum errores, sed damnum levissima licet culpa datum refarcire tenentur. Conf. Quint. l. 12. C. 6. & Plin. l. 8. ep. 23.

B

II. Be-

II. Benevolentiam clientum para comitate, & verborum factorumque lenitate, ne fastidiosum te præbeas, aut difficilem aditu, temperie tamen opus, ne vilescas. Junge beneficentiam, i. e. fuge aviditatem, & pro re nata, gratis responde, aut petitis velificare, præsertim in principio & nova praxi, saltem exactiorem importuniorem evita, & causæ finem præstolare.

III. Consulenti, cui plebejum est ingenium, quasi ex abrupto responde, ut sine omni meditatione id egisse videare. Plebs favet fervidis, & hos tollit. Id vero, quod modestum est, plebe judice, ignaviæ speciem habet; *der sey gar zu furchtſam, taug nichts*: Quod circumspectum & providum, segnitæ, *zu langsam*; quicquid autem abruptum & præceps, id vero forte & virile censetur. Cave item, ne aliunde, quam ex te consilia capere & sapere videare. Deinde paventes erige, quia vulgus metu & spe nimium. Felicitatem denique & causas omnes invidiæ diffimula, quia natura invidum. Schilt. *prax jur. Rom. exerc. 10. cor. 4. & 5.*

IV. Exhortare clientem ultro, ut omnia quamlibet verbose, & unde volet, repetito tempore, exponat; non enim tam obest audire supervacua, quam ignorare necessaria. Nec tanta sit tibi memoriæ fiducia, ut subscribere audita pigeat. Nec semel audisse sit fatis, cogendus eadem iterum ac sæpius dicere litigator: non solum quia effugere aliqua prima expositione potuerunt, præsertim hominem (quod sæpe evenit) imperitum, sed etiam ut scias, an eadem dicat. Plu-

Plurimi enim mentiuntur, & tanquam non doceant causam, sed agant, non ut cum patrono, sed ut cum iudice loquuntur. In summa optimus est in discendo patronus incredulus. Promittit enim litigator omnia, testem, populum, (notorietatem) paratissimas consignationes, ipsum denique adversarium quædam non negaturum. Ideoque opus est omne intueri litis instrumentum. Quint. l. 12. c. 8.


V. Sic causam perscrutatus, propositis ante oculos omnibus, quæ profint noceantque, jus ad factum applicandum sedulo conquire: primum titulos corporis juris, de substrata materia agentes, summa cura studioque lege & relege, deinde probatissimos quosdam pragmaticos, paucos tamen, e. g. Mevium, Carpovium, Strykium, Leyserum evolve; (testimonia enim aliorum confirmant iudicium nostrum;) denique quæ in legibus & doctoribus adjumenta causæ tuæ inventi, accurate exquisiteque collige, ut his, quasi telis, in pugna forensi uti possis, nihilque pratermittas, quod sit in causâ aut ad confirmandum, aut ad refellendum, neve vacua causarum convitiis implere necesse habeas. Illud autem admonendi non sumus, jura patriæ nobis ante omnia cognita esse debere atque perspecta. Turpe enim est patricio, & nobili, & causas oranti, jus, in quo versaretur, ignorare, l. 2. §. 3. de or. jur.

VI. Specialiter ad rite formandum secundum indolem instituentæ actionis libellum *Bœhmeri doctrinam de actionibus*, ad investigandas vero exceptiones tam dilatorias, quam peremptorias *Zangerum & Rivinum* in consilium adhibe. In causâ criminali *Carpovius & Kresius*; in feudali *Rosenthal, Struvius uterque & Hornius*; in consistoriali, quam vocant, iterum *Carpovius & Bœhmerus* sufficere possunt. In causâ denique illustri, pactorum domus, & observantia, & legum Imperii fundamentalium probe gnarus, solam sanam rationem sequere; in nullius magistri verba jura. VII.

VII. Terminos a iudice vel lege præfixos in fastis ad adscribendum aptis sollicitè nota, ne fatalia negligas, ideoque, quod advocato turpissimum est, causâ cadas.

VIII. Tandem semper hæreat in mente tua, plus valere favorem in Iudice, quam legem in Codice. Itaque non solum auctoritatem iudicis & assessorum reverenter habe, sed etiam magistrorum scriniorum, immo scribarum & apparitorum gratiam tibi conciliare stude. Utut enim hi posteriores prodesse multum nequeant, nocere tamen & obesse interdum possunt.

Magna nos spes tenet, servaturum has sapientium leges honestumque foro operam daturum Virum Iuvenem Nobilissimum & Ornatissimum, HIERON. KOEHLERVM, J. U. Candidatum. Natus is est Smalcaldia die XII. Octob. An. MDCCXIII. patre JOAN. KOEHLERO, castri, quod ibidem est, & annonæ præfecto integerrimo. Imbutus in schola patria a peritissimis ejus moderatoribus Bockwizio Rectore & Lipsio Conrectore iis doctrinis, quibus adolescentia ad majoris fortunæ cultum impertiri debet. A. MDCCXXXI. in Academiam Fridericianam se contulit, ibique Virum Consultissimum Schlittium instituit. juris, Struvii Jurisprud. & Pand. interpretantem indefesso studio audivit. A. MDCCXXXIII. domum reversus protinus in hanc academiam migravit, & omnium quidem philosophiam, jurisq; prudentiam docentium sermones gustavit, inprimis vero Jctum Consummatissimum FRID. VLR. PESTELIVM domi & in publico affectatus est, eoque præeunte non solum Institut. & Pand. recoluit, sed etiam in juris Can. & Feud. adyta penetravit. Fiduciam igitur studiorum suorum habens, honestamque foro operam dare exoptans, examen publicum, sine quo nemo in terris Hassiacis Advocatorum consortio sociari potest, subire paratus est. Cui actui ut omnes, qui Musis nostris favent, benevole interesse velint, id est, quod nomine Facultatis nostræ ea, qua par est, humanitate ab unoquoque peto atque contendo.









65 717

AB: 65717

X 2290245

VD 17





PROGRAMMA  
DE  
**CAVSSIS HONESTIS**  
QVO  
AD EXAMEN PVBLICVM  
DOMINI  
**HIERONYMI KOEHLERI**

SMALCALDIA-HASSI PRAXEOS CANDIDATI  
DIE XIII. APRILIS HORIS ANTEMERIDIANIS CONSVETIS  
AVDIENDVM

ACADEMIAE PROCERES CIVES STUDIO-  
SOS OMNESQVE BONARVM LITERARVM ET  
FORENSIVM MV SARVM FAVTORES

OFFICIOSE ATQVE DECENTER INVITAT  
**PAVLVS PHIL. WOLFFHARDTVS**  
I. V. D. ET P. P. H. T. DECANVS.

---

RINTELIH IMPRESSIT IOH. GODOFR, ENAX  
ACADEM. TYPOGR.